

XXV.

*Ejusdem renunciatio juris super bonis in
Uttendorff. Anno 1318.*

NOS BERTHOLDUS Dei Gratia Comes de Hennebergk cum dilecto primogenito nostro HEINRICO publice recognoscimus & ad cunctorum presens scriptum intuentium notitiam volumus pervenire, Quod ad nostram presentiam veniens Conradus dictus Schrimpff filius Heinrici dicti Schrimpff Militis Senioris de verbo & consensu uxoris sue Katherine suppliciter exorat, quod quedam bona sita in Uttendorff duas libras Hallens. cum duobus solidis Hallens. nec non cum tribus quartalibus tritici & uno maldro avene, que à nobis titulo feudali proferant, annuatim solventia, Domino Bertholdo Abbati totique Conventui in Breittingen, Ordinis Sancti Benedicti, appropriare dignaremur, qui scilicet Dominus Bertholdus Abbas nec non Conventus predictus ab eodem Conrado & a predicta uxore sua Katherine pro viginti sex libris Hallens. comparaverint bona prescripta & predictam pecuniam numeratam se dixerint in meliores usus contulisse. Nos vero sua nec non parentum suorum servicia considerantes sepe dicta bona Ecclesie sepe dicte in Breittingen appropriamus, nec non tradimus in his scriptis & donamus perpetuo possidenda. Renunciantes etiam omni juri seu actioni que nobis amodo competere posset in bonis suprascriptis. Ne autem predicta libertas sepe dicte Ecclesie à nobis data imposterum vitari seu à nostris posteris valeat

Collect. XII.

Aa

in-